



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XLV. Bischof Balduin von Brandenburg erhöht die Kirche St. Marien zu Coswig zu einem Dom- und Collegiatstifte, am 22. September 1215.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**XLIV. Bischof Balduin von Brandenburg weiht die Bartholomäi-Kirche zu Zerbst,
am 20. September 1215.**

In nomine sancte et individue trinitatis. Balduinus dei gratia Brandenburgensis Episcopus. Notum esse volumus — nos Ecclesiam beati Bartholomei in Scerewist dedecimus, assignantes eidem dotem subscriptam — adhibitis testibus idoneis, quorum nomina hec sunt: Woltherus Prepositus in Lezeke etc. Datum Jezere, XII. Kal. Octobr. anno ab incarnat. Domini M. CC. XV. Indict. III.

Ausführlich in Beckmann's Anhalt. Hist. III., 203.

**XLV. Bischof Balduin von Brandenburg erhöht die Kirche St. Marien zu Coswig zu einem
Dom- und Collegiatstifte, am 22. September 1215.**

In nomine sancte et individue trinitatis. Balduinus Dei Gratia ecclesie Brandenburgensis Episcopus. Ad religionem plantandam et cultum divini nominis augmentandum, ex debito officii nostri tenemur operam adhibere, ut per nostri laboris studium honor Dei accipiat incrementum, ut nos proinde a patre misericordiarum salutis perpetue valeamus premium adipisci. Notum itaque facimus universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus, quod nos ecclesiam gloriose virginis Marie in oppido Cosewic constitutam aliquando filiam matricis ecclesie, sed nunc ab ipsa liberam, exemptam, modis omnibus sublimare, et divinum in ea Servitium cupientes pro reverentia ejusdem Virginis ampliare, requisito consilio et assensu Henrici, Illustris Comitis de Anhalt, in cujus proprietate sita dignoscitur ecclesia memorata, intellecta etiam voluntate fidelis nostri, Hoyeri, Comitis de Valckenstein, qui eundem fundum tenet in feudo a principe ante dicto, Arnoldi quoque Plebani ejusdem oppidi conniventia concedente, in eadem ecclesia Canonicos quinque Deo autore institimus, preficientes eisdem Decanum, Plebanum videlicet ante fatum, qui pre aliis Canonicis de oblatione ejusdem ecclesie V. marcas argenti accipiet annuatim, quamdiu parochiam Sancti Nicolai, ad quam respicere debet cura populi de toto isto oppido, tenere voluerit. Cui si renunciaverit propria voluntate, ecclesie quinque marce absque dubitatione vacabunt, vacante autem eadem parochia quemcunque virum providum et discretum predictus Comes Hoyerus elegerit, ad Personatum ipsius Ecclesie, et nobis obtulerit investendum, ille curam eandem a nobis accipiet, Decaniam pariter Conventualis ecclesie possessorus, et in predictis V. marcis nihil juris penitus habiturus; unicuique vero Sacerdotum, tam ipsi Decano, quam duobus reliquis in annuo stipendio quatuor libre cedent, tribus libris Diacono et duobus Subdiacono deputatis. Oblationes autem, que hanc summam quotannis exceperint, feliciter conserventur, quousque de ipsis certi reditus valeant comparari, ut Canonicorum ipsorum exinde augmententur stipendia, in hunc modum, Quod sex libre cuilibet Sacerdoti, quatuor Diacono, et tres Subdiacono absque diminutione proveniant, de oblationibus vero illis, que de jam dictis proventibus eorundem Canonicorum annis singulis superesse potuerint, possessiones et predia comparentur, ut secundum prescriptam formam in ipsa ecclesia decem persone valeant sustentari. Ut igitur hec nostra constitutio, et constitutionis dispositio firma perpetua et inconvulsa permaneat, eam presenti pagine commendatam, sigilli nostri impressione roboravimus. Et ne quis eam infringere, vel ei ausu temerario

contraire presumat, autoritate Beati Apostolorum Petri et Pauli et nostra sub anathemate prohibemus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Albertus, Magdeburgensis Archiepiscopus Apostolice Sedis Legatus, Sigebodo, Havelbergensis Episcopus, Henricus, Abbas in Monte Magdeburgensi, Rudolphus, Abbas in Lenin, Wilhebertus, Abbas in Cenna, Wichmannus, Prepositus Sancte Marie in Magdeburg, Bernardus, Prepositus in Gratia Dei, Sifridus, Prepositus Brandenburgensis, Waltherus, Prepositus in Liezeka, Andreas, Prepositus in Jericho; Laici vero Albertus, Marchio Brandenburgensis, Albertus, Dux Saxonie, Henricus, frater ejus Comes de Anhalt, Bedericus, Comes de Dorenburg, Conradus, Comes de Valkenstein, Wernerus de Dobbin, Bedericus, Castellanus Brandenburgensis, Fridericus de Hasle, Burchardus de Bresfne, Richardus de Plaue, Richardus de Scherewist, et alii quam plures Clerici et Laici. Datum Jezere per manum Alexandri, Notarii nostri. X. Kal. Oct. A. I. D. MCCXV. Ind. III. Epact. nulla. Concurr. III. Pontificatis nostri anno VIII.

Siedmann's Anhalt. Hist. III, 312. 313. Buchholz IV, 49. Sagittar, Anh. Gesch. 16.

XLVI. Der Bischof Balduin bestätigt der Domkirche eine Schenkung von sechs Hufen im Dorfe Marzahne zum Unterhalt eines ewigen Lichtes, am 24. September 1215.

— Balduinus, dei gratia Brandeburgensis episcopus. — Daniel, miles de Mukethe, pro sua et Berechthe, conjugis sue salute ac pro remedio animarum parentum ipsorum sex manfos, in villa Merscane sitos, ecclesie Brandeburgensi sui laboris studio comparavit, ita quod de redditibus eorundem, cum vacaverint, lumen indeficiens in eadem ecclesia ministretur. Hec autem donatio a prefato milite facta dignoscitur in hac forma, quod si ipse, uxore sua defuncta, decreverit vivere continenter, predictorum manforum proventibus quoad vixerit, libere perfruatur; si vero voluntatem habuerit matrimonium contrahendi et contraxerit cum aliqua, iidem mansi ad ecclesiam devolventur, predictis usibus applicandi. Similiter si post mortem ipsius Danielis uxorem suam contigerit superstitem remanere, et ipsa continentiam studuerit observare, tempore vite ejus bona eadem possidebit; sed si nubere voluerit et nupserit alicui, ea incontinenti vacantia et libera habebit ecclesia sepedicta, in prefatos usus sine omni obstaculo convertenda. Hanc ergo donationem et donationis dispositionem firmam et inconvulsam perpetuo permanere volentes, seriem ejus scripto, notatam sigilli nostri impressione signavimus et, ne quis eam infringat, sub anathemate prohibemus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Woltherus, prepositus in Lezeke, Johannes, de Grabowe, Nicolaus de Jezere, plebani, laici vero: Badericus, castellanus Brandeburgensis, Albertus, advocatus de Spandowe, Sifridus in Stegeliz, alique quam plures clerici et laici. Datum Magdeburch VIII^o. Kal. Octobr. anno domini M^o. CC^o. XV^o. indict. III.

Nach dem Originale.